

217

215

221

211

226

206

266

166

316

116

Ende

Anfang

206

exposuerunt madinos. Deinde accesserunt ad me, ut perscrutarentur et rumperent etiam sportas et ligamina mea et (145a) tollerent vectigal. Accepi autem animum et audacter restiti, nec sustinui, ut quis contingeret supellectilem meam, illi autem stabant et p[re]e ammiratione ridebant aestimantes me non sani capit[is], quia toto conatu eis resistentiam feci. Currebant autem multi Sarraceni et Christiani, insolitam contentionem mirantes; quidam autem Venetus adstans dixit, quare sic me dominis opponerem? Cui dixi: quia sacerdos sum et religiosus, nec duco res venales, sed divinas et mihi necessarias, de quibus Aegyptii nulla telonea exigunt, hoc sciens me oppono, nec aliquem admittam nisi vim intulerit mihi, quae, si illata mihi fuerit, regredior in urbem, et praefecto me ostendam esse sacerdotem et liberum ab exactionibus communis vulgi saecularium et mercatorum. Hoc audientes exactores destiterunt, scivi enim, sacerdotes cujuscumque gentis in Aegypto ab antiquo ab Osiride, primo Aegyptiorum rege et domino, liberos, ut habet Diodorus lib. 1. Antiqu. histor. De quo etiam patet supra Fol. 118. Et habetur Genes. 47. Et Philosophus Metaphysicorum dicit, quod sacerdotes Aegypti, quia vacabant studio philosophiae, liberi erant a gravaminibus caeterorum.

Post hoc quidam alii venerunt Sarraceni, et quidam vi conatum in cumulum meum fecerunt, quibus ostendi rasuram capit[is] mei et scapulare et breviarium, in signum sacerdotii, et juravi eis per Deum crucifixum, me non esse ductorem mercium aliquarum, sed sacerdotem et pauperem peregrinum, qui etiam dimiserunt me. Juvenes autem circumstantes, videntes proterviam meam, incepserunt me vexare, et retro accedentes, quasi volentes mihi aliquid auferre, contra quos simulavi iram magnam, quae tamen de facto non erat in me, sed istis puerilibus moribus defendi me et paupertatem meam, ne asperior fieret. Si enim de singulis teloneum accepissent, duo ducati vix suffecissent, de quibus multis diebus vivere potui. Interea sol ad occidentem declinabat et tardior hora fiebat, unde expeditis omnibus res nostras in unam barcam portavimus et in nomine Domini cum magno gaudio mare ingressi sumus, et cum cantu marino, qui habetur in prima parte Fol. 31. et Fol. 75. classem intravimus. Intra classem autem ad galeam capitanei et domini Sebastiani navigavimus, et res nostras in prora locavimus. Dominus autem decanus Moguntinus cum sua

